



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BYUMBANA**\*NOVA CONDITUR IN RUANDA  
DIOECESIS NOMINE

**BYUMBANA NONNULLIS E DIOECESI DETRACTIS TERRITORIIS**

Quandoquidem experientia teste apta Ecclesiarum dispositio, id est finium locorumque delineatio haud parum ad ipsarum Ecclesiarum prosperitatem confert, idcirco haec Apostolica Sedes, mater omnium Ecclesiarum sollicita atque christianae fidei tum servandae tum propagandae apprime studiosa, ea saepe coepta init, quae huic rei maximopere conducant. Stat enim res ibi magis florere, ubi aptior fuerit rerum agendarum condicio. Qua re, cum Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus Sacrae Congregationi Pro Gentium Evangelizatione praepositis visum sit in Ruanda novam dioecesim condere, Nos eorum sententiam probantes, apostolica Nostra potestate haec decernimus, nempe iis ante auditis quorum interesset. A dioecesi Ruhengeriensi, quae est in finibus Ruandae, partem orientalem detrahimus, qua novam dioecesim constituimus, ab urbe Byumba principe in regione *Byumbanam* cognominandam atque metropolitanae Sedi Kigaliensi suffraganeam. Cuius Ecclesiae fines iidem erunt atque limites civilis Praefecturae vulgo « Ruhengeri » atque Praefecturae vulgo « Byumba »; Sedes episcopalis in urbe Byumba collocabitur, in eiusque templo principe Episcopus cathedram suae potestatis ponet, factis nempe iuribus quae sedibus atque templis cathedralibus lege conceduntur. Canonicorum loco Consultores dioecesani eligantur, qui Episcopum consilio et opera iuvent, dum Canonicorum collegium condatur ; quo facto illi a suo officio cessabunt. Mensam episcopalem tum populi collationes efficient, tum Curiae emolumenta, tum bona si qua sunt, quae ad dioecesim Ruhengeriensem pertinebant pro rata parte. Cetera, iure Canonico scilicet temperentur. Has vero Litteras Nostras Venerabilis Frater Thomas White ad exitum deducet, vel quem ipse legaverit, factis ad id necessariis facultatibus. Re vero acta, ipse documenta exarari faciet atque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittet. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo primo, Pontificatus Nostri quarto.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Liborius Scaccia, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXIV (1982), n. 2, pp. 193-194

© Copyright 1981- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana